



ME

2

Over Yd 920<sup>2</sup> 4°

9

2

G. q. 106. a.

**ODE LVGVBRIS,**  
 QVA  
 OBITVM  
**VIRI**  
*PRAENOBILISSIMI AC DOCTISSIMI,*  
**ANDREAE**  
**HASSKO,**  
*PRAECEPTORIS QVONDAM SVI LONGE*  
*MERITISSIMI CARISSIMIQVE*  
 MOESTI DEFLENT  
**PRIMI ORDINIS IN PAEDAGOGIO**  
**BERGENSI CIVES.**

---

*MAGDEBURGI,*  
LITTERIS CHRISTIANI LEBERECHT FABRI, PRIV. TYP.

AV



Q uis dolor nostras subitusque luctus  
Occupat mentes, animosque turbat?  
Berga cur fletu queruloque planctu  
Personat omnis?

Cur cohors tristis iuuenum tremensque  
Adstat & fundit gemebunda fletus,  
Prodit & multis lacrymis dolorem  
Mentis acerbum?

Non vagus rumor, dubiumque murmur  
Fallit & terrore animos inani  
Conficit; summi datur ecce iusta  
Caussa doloris.

Mortem adhuc cari socii dolentes  
Heu! nouo luctu miseri repente  
Obruti, fletus renouare tristes  
Cogimur omnes.

Occidit longe grauiore casu  
Occidit, plangunt iuuenes virique!  
Morte PRAECEPTOR subita COLENDVS  
Occidit eheu!

O nimis durum properansque fatum!  
Cur VIRVM tollis, VENERANDE IOVA!  
Quem pio cuncti studio piaque  
Mente colebant;

Hunc VIRVM, cuius pietate nobis,  
Candida vita, variisque dictis  
Saepe monstrata est via, quae sequenda,  
Fonsque salutis.

Saucium peccus toties dolorem  
Sentit ingentem, quoties amoris  
Praestiti nobis animo recurrit  
Triftis imago.

Os abundabat nitidis disertum  
Vocibus, suaui resonabat omnis  
Schola doctrina, similisque melli  
Sermo fluebat.

Ite fallaces meditationes  
Turbidam mentem quibus excitare  
Nitimus frustra. Refricatis alta  
Vulnera nostra.

Libero iustae lacrymæ per ora  
Defluant cursu; simul atque mentis  
Sint piae testes, gemitusque ab imo  
Pectore ducti.

Quid doles autem, stupefacta Berga?  
Ille, quem luges, superauit, atque  
Sospitatoris pretiosiore  
Sanguine vicit.

Vicit, & viuit, fruiturque veris  
Gaudiis, quae iam moribundus ante  
Mente gustabat, quibus amouebat  
Horrida leti.

Mortis exemplum capite hinc, sodales!  
Fortiter nemo nisi praeparato  
Optime mortis superauit virumquam  
Pectore luctam.

Stet, precor, nostris oculis imago  
Cara, vti quondam fuit ipse vultus,  
Semper ut fixum monimentum amoris  
Cordibus insit.

At vale dicunt **TIBI** iam supremum  
Voce lugubri, trepidoque vultu,  
Integra cuncti: **PLACIDE QVIESCAS,**  
Mente precantes.

† † †

78 M 350

ULB Halle

001 592 122

3



56.

Petro V



# ODE LVGVBRIS,

QVA  
OBITVM

VIRI  
ISSIMI AC DOCTISSIMI,  
DREAE  
ASSKO,

IS QVONDAM SVI LONGE  
ISSIMI CARISSIMOQUE

MOESTI DEFLENT  
INIS IN PAEDAGOGIO  
GENSI CIVES.

MAGDEBURGI,  
IANI LEBERECHT FABRI, PRIV. TYP.

**Farbkarte #13**

